





EPITAPHIA
ET
ALIQUOT
ALDINI
I
5
58














BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
ALDINI
I
5
58
RACCOLTA NENCINI


OTIVM
SINE LITERIS
MORS EST
Seneca
Ex Libris Joannis Nencini
1874








BERNARDI GEORGII

PATRICII VENETI

EPITAPHIA, ET EPIGRAMMATA ALIQVOT, QVÆ DVM PRÆTOREM PATAVII AGERET OBITER COMPOSVIT.





Ad Lectorem

IVS dicens, totam gradiens paſsimq; per urbem,
Quæq; obiter prætor carmina compoſui,
Edimus haud laudis ſtudio, aſt Virtutis amore,
Quiſquis es hæc quæſo perlege mente proba.
Inuenies aliquid, Quod te fortaſſe iuuabit.
Nugæ etenim interdum ſeria ferre ſolent.
Si nulla utilitas, ſi non erit ulla uoluptas,
Diſces, ne pereat tempus inane tibi.

BERNARDVS GEORGIVS, P. P. PATAVINAE NOBILITATI, PATAuinæq; Academiæ S. P. D.



PITAPHIA, & Epigrammata quæ hactenus ex quo Patauinam Præturam exerceo, magis ex tempore quàm à cura effinxi, quibus decẽtius nuncupauerim, quàm ornatiss. Patauinæ Nobilitati, Patauinæq; doctiss. Academiæ. Enimuero, ut prætoria edicta, & acta à me in hunc usq; diem constituta in communem totius ciuitatis usum, & cõmodum, amantiss. promulgata sunt, ita etiam paucula carmina hæc nostra ad Ciuium (siquis tamen ea suspensis saltem oculis legere aut percurrere uoluerit) uoluptatem, & solatium excogitata nunc pari affectu depromuntur. Quæ inquam carmina prout sors, & occasio se, se mihi obtulerunt obiter lusi. Sint igitur uobis obsecro nobiliss. Ciues præclara Antenorea progenies à qua olim maiores nostri plurima ex parte originem traxerunt hi uersus nostri siue potius lusus, ueluti testes, cum studiorum meorum, quibus adolescens trienniũ operam dedi in florentiss. Gymnasio almæ huius Vrbis bonorum ingeniorum, bonarumq; Disciplinarum alumna: tum perpetuum pignus, & monumentum propensiss. meæ erga uos beneuolentiæ. Quem nimirum affectum, uestra de me existimatio, addo etiã (si absq; aictantiæ nota dixisse licet) obseruantia: un

decimo abhinc mense, ex quo apud uos dego, administrationiq; huius inclytæ urbis præsideo, maiorem in modum auxit, ob quod, & si ampliss. hac Prætura negociorum, & occupationum plena, & cui reliquæ omnes Præturæ Venetæ ditioni supposita facilè cedunt, acriter, & uehementer uestra causa laboraui: Si Deus tamen (ut spero) cœptis annuerit, & fauerit, uitæ meæ, ac honorum, quibus fungi contigerit reliquo decursu, gratiam parem, ut alumnus, & amantiss. Prætor uester relaturum profiteor, & confido. Vestra igitur omnium intererit ne longius digrediar, deinceps obseruare, ac curare, ut si quis huic nostræ lucubratiunculæ ueluti parum ingeniosæ, parumq; eruditæ, ac ætati, atq; dignitati nostræ parum congruæ detraxerit, uestra aura, & auctoritate, ac studio, eam, ut pote uestro nomine, & uestra gratia meditatam, & elaboratam, demumq; in manus hominum emissam, acri, & alacri animo sine ulla exceptione officiose tueri. Valete. Datæ Patauij octauo Kal. Nouembris M D LVII.

INSCRIPTIO SEPVLCHRI ANTENOREI.

Troius Antenor iacet hac ſub mole ſepultus,
Qui patria euerſa, claſſe has delatus ad oras,
Euganeis bello uictis, hanc condidit Vrbem,
Vnde hoc defuncto ſocij erexere ſepulchrum.

Altera inſcriptio.

Hic iacet Antenor troiana ex Vrbe profectus,
Qui patria pulſus, Patauinam condidit Vrbem,
Palladium ex Aſia portans, & pergama ſecum.
Qui functus uita, fuit hoc ſub monte ſepultus.

Epitaphium Titi Liuij Patauini.

Liuius extinctus iacet hic, quem fama ſuperſtes
Incolumem ſeruat, tum ſupereſſe facit.
Quem labor, & ſtudium, phraſis quoq; lactea, priſcas
Scribentem hiſtorias ſydera ad uſq; uehit,
Multum igitur debes patauis Roma inclyta, nam te
Liuius exaltat, dum tua geſta refert.
Adriacam donec præterfluet Albula molem,
Tantiſper Liui fama ſuperſtes erit.

Epitaphium Petri Aponensis.

Non est tam medicas Aponus memoratus ob undas,
Nomine quàm clarus factus, & arte mea.
Stella Aponum ornauit, Flaccusq; Valerius olim,
Musarum, & Phoebi fidus uterq; cliens,
Doctrina uerùm nostra, magicoq; professu,
Nunc idem ornatur, fit celebrisq; magis.
Sulphureas dùm fundet aquas, Aponusq; calentes,
Usque adeo uiuet nomen in orbe meum.

Epitaphium Reuerend. & Illustriss. Petri
Bembi Cardinalis. S. R. E.

Prominet hic Bembi effigies sine uoce uiator,
Quem linguà ornarat stemmate cardineo,
Non obijt certè nec uocis deficit usu,
Cuius docta uirum scripta per ora uolant.
Doctorum ueneranda cohors lætare, sepultos,
Vos post fata etiam uiuida fama manet.
Et licet in petra hac Petrus per sæcula uiuet,
Doctrinæ uiuet plus ratione tamen.
Omnia consumit tempus, doctrina beatos,
Atq; immortales efficit una homines.

Epitaphium Alexandri Contareni
Procuratoris.

Hæc

Hæc maris, hæc belli, nauali hæc arte peritum,
Atq; manu promptum continet urna Ducem,
Nomen Alexander, cui Contarena propago,
Qui Procurator Marcius extiterat,
Diues opum, haud ulli fama, aut uirtute secundus,
Hic moriens, fieri hoc qui sibi iussit opus.

Epitaphium Hieronymi Michaelis

Mole sub hanc præstans situs est Hieronymus ille,
Illustris genuit quem Michaela domus.
Cui genitor sapiens extat, summusq; Senator,
Melchior, Adriacæ gloria rara togæ,
Præfuit hic leuibus, grauibusq; triremibus olim,
Militiæ æquoreæ non sine laude uacans,
Ingentis formæ, atq; animi, uir promptus, & acer,
Post fatum hanc sedem qui sibi constituit.

Epitaphium Lazari Basani grecæ, ac latinæ
linguæ professoris præstantissimi.

Nosse Viator aues, ex ære hæc cuius imago,
Quæ Mausoleo prominet in medio,
Lazarij effigiem quare hanc scito esse Basani,
Qui graio, ac latio præstitit eloquio.
Cui Phœbus genitor, genitrix cui docta Minerua,
Cui puero nutrix Calliopeia fuit.

Qui plures Paduæ docuit feliciter annos,
Inferior nulli rhetor in arte sua.
Quatuor, atque decem uitæ qui lustra peregit,
Citra ullam morum, citra animique notam.
Vnde uiro hanc molem posuit mœstissima coniux,
Affectum erga illum testificata suum:

Epitaphium Fulgosi Iuris Vtriusque Doctoris.

Sacrarum Legum iacet hic, iurisque peritus
Fulgosus, fulgor maximus Italiæ.

Epitaphium Bernardi Georgij

Bernardi scito cineres hic esse Georgi,
Marmoream quisquis prospicis hanc tabulam.
Ordine patricio, plures qui gessit honores,
Pro patriaque domi, pro patriaque foris.
Cui Phœbus iuueni, doctæ pariterque sorores,
Cuique seni dotes contribuere suas.
Deterior nulli fama, aut probitate Senator,
Qui patriam ornauit moribus, eloquio.

Epitaphium Alexandri Socini
Mariani f:

Ciuilis iuris, pariter sacrique peritus,
Socinus

Socinus præstans hoc iacet in tumulo.
Nunc ubi sit doctrina uiri, dic quæso uiator,
Dic ubi nobilitas, fastus, & ingenium.
Omnia prætereunt, pertingunt omnia finem,
Nil non falce sua mors uiolenta secat.
Sola igitur post fata iuuant, mens conscia recti,
Relligio, probitas, candor, & integritas.

Epitaphium ~~Antonij~~ Erasmi Gatæ Mellitæ cui Statua marmorea super foro Diui Antonij posita fuit.

Quanta fides nostra extiterit, qualisq; uiator,
Quàm fuerim patribus gratus, & Adriacis,
Marmorea hæc moles facile testatur, in ipsa,
Aeneus impositus quiq; colossus inest.
Quæ mihi sponte sua erexit, posuitq; Senatus,
Nimirum immensa pro pietate Patrum.
Huc animum, huc oculos quæso conuerte uiator,
Sic me immortalem præstitit alma fides.

Epitaphium Reueren. D. Petri Barotij
Episcopi Paduani

Præclarus iacet hic Præsul Barotius ille,
Gloria pontificum, sacricoliq; gregis.
Quem probitas, pietas, splendor, doctrina bearunt,

Atque immortali copulauere Deo:
Quem regio Patauina dolet, quem totus & orbis,
Et pauper sanctum, flet locuplesq; uirum.
Sed quid Virtutes, sed quid praeconia tollam
Pontificis, coelum scandere qui meruit.
Id dicam, nullum in pataua sedisse cathedra,
Coelituum qui plus dignus honore foret.

Epitaphium Thomae Barbadici clariss.
D. Andreae filij.

Thomas Barbadicus iacet hic, sors unica uitae,
Vnica progenies, spes, columenq; patris,
Ingenuus, prudens, praestanti corpore, forma,
Quiq; fuit raro praeditus ingenio.
Octo decemq; simul peragebat molliter annos,
Dans operam studijs cum moreretur inops.
Praefecto Pataui misero genitore relicto,
In lachrymasq; actis ciuibus, & patauis.
Spiritus ast Thomae cum caeli in parte quiescat,
Mors ferri à cunctis mitius ista potest.

Inscriptio ornatissimi, & splendidiss. Palatij Excellentiss. Doct. Marci Mantuae plurimis uetustiss. signis, & tabellis referti.

Graecia quot nunquam uidit, neque Roma sub uno
Collectas tabulas, marmora, signa lare.
Tot

Tot domus una capit Marci, qui Mantua dictus,
Ingens Euganeæ est nobilitatis honos.
Eximius uere doctor, iurisq; peritus,
Præstans consilio, clarus & eloquio.
Qui pridem magnis opibus monumenta uetusta
Vndiq; collegit, contulit hucq; simul.
Romanos proceres, uideasq; hic ordine Graios,
Quot celebresq; ætas quælibet ante tulit.
Herculis immensa hic è saxo forma colossi,
Numorum hic ueterum copia larga patet.
Hanc aulam si quis lustret, uelut ante decoras
Europam, atq; Asiam se putet inspicere.

Inscriptio horti simplicium herbarum medicarum.

Mœnia quæ structa hic, quæ forma hæc ampla theatri
Quis labyrinthæus qui uiret hicq; locus,
Non hic Alcinoi Phæacum principis horti,
Hesperidum non hic cernere poma datur.
Simplicibus herbis locus est, plantisq; dicatus,
Flos, Folium, Radix hic peregrina nitent.
Germina quot Pontus, felix quot Arabia nutrit,
Quæ legit in campis Mædus, & Assyrius,
Hic pariter uideas, quæ Cyprus semina, Baccas,
Quas etiam stirpes Creta, Rhodusq; ferunt.
Area Philosophis tantum hæc, medicisq; parata est,

Huic horto medicæ præsidet auctor opis.
Mandato Adriaci facta hæc impensa Senatus,
Gymnasium dum plus demeruisse cupit.
Quisquis amat medicas herbarum agnoscere uires,
Quæ docuit Macer, quæq; Dioscorides,
Conferat huc sese, plureisq; hic transigat horas,
Non minor euadet nanq; Podalirio.
Inuentum medicina fuit, munusq; Deorum
Inuentum Venetum est, munus & iste locus.

Super tribus malis punicis miræ magnitudi
nis, & suauitatis ad Hospitem.

De trabe quæ spectas pendentia punica mala,
Qualia non uidit, quanta nec Alcinous,
Natalis comitis reuerendi protulit hortus.
Nunc diui Antoni qui sacra claustra regit.
Ne tu tam pomi formam mirere, sed ipsos
Prædulces succos, granaq; conspicua,
Aegrotis, sanisq; simul gratissima, quandò
Nectaris exhibeant, ambrosiæq; uicem.
Cum Deus ipse igitur terrarum conderet orbem,
Has Adæ plantas inseruisse ferunt.

Epitaphium Hieronymi Nigri canonici Patauini.

Conditus hic Niger est, fuerat qui candidus inquam

Doctrina, ingenio, moribus, eloquio.
Et licet atra uirum mors intercœperit, album
Attamen illa polo reddidit æthereo.
Illic nunc fulget niueo præcinctus amictu,
Candidus effectus, qui prius ater erat.
Adde quod auctoris tanti dum ſcripta manebunt,
Vſqueadeo uiuet clarus in orbe Niger.
Hoc Sancti poſcunt mores, hoc candida uirtus,
Dux una, una comes quæ ſolet eſſe bonis.

Ad Beuilaquam de Beuilaquis Doc. & Equitem, ſuum Vicarium.

Te dolor interdum capitis ſine fine fatigat,
Atque domi retinet, nec ſinit ire foras.
Me contra uehemens torquet perſæpe podagra,
Inuitum in thalamo detinet, inq; toro.
Mitius exoptem noſter dolor urat utrunq;,
Vt fungi officio poßit uterq; ſuo.

Deprecatio ad Deum omnipotentem cum podagra uexaretur.

Carmina iam ualeant, Phœbi ualeantq; ſorores,
Muſarum Phœbus iam ualeatq; pater.
Non opus eſt muſis nobis, pia pharmaca noſtri

Articuli exposcunt, efflagitantq; pedes.
Torqueor infelix nimio langore, nec ulla
Subsidium nostro fert medicina malo.
A tanto superest superi quod nempe dolore
Desertum, ac miserum me redimisse uelint.
Obsecro quapropter uos ò pia numina cœli,
Me seruate inopem, ne siniteq; mori.

Ad Gerardum Busdragum Episcopum
Argolicensem.

Qui templo Christi inseruit? Qui prospicit aptè?
Solerti clerum qui regit obsequio?
Busdragus, legum decoratus utraq; corolla,
Moribus, eloquio, relligione potens.
Vrbs quem Luca tulit prognatum sanguine hetrusco,
Qui nunc delubro præsidet Argolico.
Hunc & adi, ac uise exoro officiosa camœna,
Pontificiq; probo dic reuerenter aue.
Insuper hæc illi perfer, quæ carmina mitto,
Quin magis has nugas nomine redde meo.
Dic etiam, quod dum tranquillæ pagina uitæ
Scribitur, interea sustinuisse uelit.
Nanque peracta breui per nos mittetur ad ipsum,
Pollicitus noster quod mihi scriba fuit.
Præsulis ulterius ne quid pia gesta retardes,
Busdra-

Busdrago salue, dicque subinde uale.
Dum choreis tota urbs, ludoque indulget equestri,
Tum Phoebo Praetor, Pieridisque uacat.
Ergo ne pigeat, quae pro te carmina lusi,
Suspensis saltem cernere luminibus.
Non ualet infelix, nec tam malus esse libellus,
Qui non ex aliqua parte iuuare queat.
Grimani uersus cùm primum legeris, opto
Deinde uelis ad nos mittere continuo.

Ad Reueren. Episcopum Argolicensem Gerardum
Busdragum Suffraganeum Illustriss.
Cardinalis Pisani.

Extiterint quàm grata mihi tua carmina disce hinc,
Ante diem nam me haec edere scripta facis.
Si quid erit doctas igitur quod uellicet aureis,
Cum nobis ueniam, tum tibi iure dato.
Auctor praecipuus nanque es clarissime Praesul,
Vt uulgem nugas te suadente meas.
Ergo uale, & felix diuturno tempore uiue,
Bernardique tui fac memor esse uelis.

In Scholares qui petunt facultatem
armorum gerendorum.

Qui studet, ille colat Musas, & Apollinis arteis,
Miles bella gerat, martia tela colat.

In

In eosdem.

Qui studijs operam impendet, doctæq; Mineruæ,
Is uoluat libros, Pieridasq; colat.
Sed qui gradiuo inseruit, fera spicula uibret,
Et gladios tractet, tum quoque bella gerat.

Ad Reueren. Franciscum Francescinum.

Scodrensi nutrita lacu, tum denique capta,
Anguilla hæc illinc missa subinde mihi,
Mittitur ecce tibi Doctor reuerende, sacrarum
Interpres legum, christicoliq; chori.
Hanc opto læto uultu, tum mente serena,
Accipiasq; animo quo tibi iure datur.
Exiguum munus fateor, sed tempore tali,
Quod deceat, si quis dogmata sancta colit.
Ne studia exturbem, tua ne simul ocia rumpam,
Incomptis finem uersibus en facio.
Interea salue, atque uale Francisce diserte,
Deuinctumq; putes te sine fine mihi.

Ad Reueren. Abbatem Sanctæ Iustinæ.

Scodrensi intercepta lacu, mihi missa subinde,
Anguilla hæc ingens en tibi iure datur.
Pontificis dignum munus, tum præsulis almi,
Qualis

Qualis es ò præstans, & Venerande Pater.
Læta igitur capias oro mea munera fronte,
Ac pro me immensum quæso precare Deum.
Proq; datis alias spiris, hanc accipe spiram,
Pectus, & officium tum meditere meum.

Ex Græco.

Persimilis Trullæ uir est ingratus habendus,
Quæ solet immissum fundere scissa merum.

In Leonis effigiem quæ posita est super columna
apud Sancti Andreæ fanum.

Qui Leo marmoreus stratus, super hacq; columna,
Visitur impositus, tum pileatus adest,
Custodit pariter templum hoc, triuiumq; propinquum,
Securum, ac tutum tum quoq; reddit iter.
Belua cur pileum gestet, uis scire uiator?
Dicam, ut se metuat, plus fugiatq; latro.
Adde, quod hyberno, ac æstiuo hic tempore degens,
Munitum debet belua habere caput.
Est tamen hic urbis medium qui sentiat esse,
Hinc statuam hanc ciues hoc posuisse loco.
Marcia quæ medio gestant ut pectore signa.
Vrbis, & in media parte locasse ferant.

In Petri Picardi sepulchrum.

Picar-

Picardus quod se abscondat, nolitq; uideri,
Quæ faciem inuasit gallica causa lues,
Redde uiro sanam faciem, uelut ante decoram,
Eriget ille caput, os oculosq; simul.
Ast tabe absumptum uultum ne proferat, ipsum
Cogitur incuruum detinuisse caput.

Epitaphium clariss. Procuratoris Stephani
Teupuli, qui Paduæ occubuit.

Hic situs est Stephanus præclarus, & inclytus ille,
In nostra Vrbe domus Teupula quem genuit.
Insignis, Prætorq; probus, summusq; Senator,
Præfectus terra qui fuit, atque mari,
Procuratorum excelso decoratus honore,
Pro uirtute simul, pro meritisq; suis.
Iure igitur ciuem fleat Vrbs, tantumq; patronum,
Nominis Adriaci laurea qui fuerat.
Nec tantum Venetus, sed & Italus adfleat orbis,
Nam perijt lumen totius Ausoniæ.
Ferte rosas, uiolasq; patres, date thura sepulto.
Viuat inextinctum nomen in orbe uiri.

Epitaphium alterum.

Præstanteis plures genuit Respublica nostra,
Sæpe uiros, qualeis martia Roma tulit.
Sed non deterior, sed non minor omnibus illis,
Extitit,

Extitit, hoc Stephanus qui iacet in tumulo.
Ordine patricio claris natalibus ortus,
Teupula progenies cui generosa fuit.
Gesta uiri tanti si quis percurrere uellet,
Esset opus longa prorsus Odyseade.
Sat tibi nosse, gradus Stephanum exegisse supremos,
Dempto uno, dignus quo tamen extiterat.

Subscriptio picturæ in monasterio Diui Antonii.

Huc te qui confers, sacrum pæana canentes,
Quo spectes, uocem contmuisse uelis.
Ne tua sacricolis uox sit, neu lingua molesta,
Et si non audis, concinit ecce chorus.

Super Baculo à Bernardino Fornagerio Gymnasiarcha Iuris peritorum sibi donato.

Rectorum munus Baculus qui cernitur hic est,
Annua Gymnasio hæc qui dare dona solent.
Hic à quo Baculus si quæris, & unde profectus,
Sic habens, Fornax Gymnasiarcha dedit.

Super eodem alterum.

Rectoris munus Baculus qui uisitur hic est,
Hos dare Gymnasio Gymnasiarcha solet,
À quo sit missus Baculus si forte requiris,
Sic habeas Fornax hæc monumenta dedit.

Super

Super altero Baculo à Pancratio Thuringio Philosophorum Gymnasiarcha sibi dono dato.

De trabe depictus Baculus qui prominet alta,
In summo cuius splendida sphæra micat.
Pancratij egregium munus scito esse Thuringi,
Qui Patauii insignis Gymnasiarcha fuit.

Super duobus Baculis gymnicis, altero sibi donato a Zacynthino Gymnasiarcha Philosophorum, & altero a Lusitano Gymnasiarcha Iuris peritorum.

Depictos Baculos, auro passimq; nitenteis,
Quos spectas nobis Rector uterq; dedit.
Philosophi sunt dona igitur, Iurisq; periti,
De trabe qui pendent, quos Baculosq; uides.
Præfectis urbis sextili mense quotannis,
Dantur, & hæc toti munera Gymnasio.
Pergratum pignus, patauina testis in Vrbe
Adriaco prætor nomine quod fuerim.

Epitaphium Ludouici Pasini.

Philosophus iacet hic Ludouicus maximus ille,
Pasino celebri sanguine progenitus.
Egregie

Egregie doctus, medicaq; peritus in arte,
Creditus à cunctis æmulus Hippocratis;
Filius hunc tumulum, pariterq; pijssima coniux,
Erexere uiro hæc, natus at ipse patri.
Huc qui te confers, Lymphas insperge sacratas,
Ac pro defuncto quæso precare Deum.

Quatuor Carmina duobus Virgilianis addita.

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Diuisum imperium cum Ioue, Cæsar habet.
Ille præest nocti, luci hic pariterq; diurnæ,
Alter ita officio temperat alterius,
Haud mirũ Augustus Princeps, Venerisq; propago,
Iuppiter est hominum, cœlicolumq; pater.

Ad Ioannem Michaelem oratorem designatum
ad Christianissimum Regem Gallorum.

I Decus, I patriæ columen, Venetiq; Senatus,
Laurea, & Adriacæ splendor, honosq; togæ.
Te Musæ, & Charites unà comitentur euntem,
Musarum Phœbus sit comes ipse pater,
Atq; iter ingresso contingant omnia fausta,
Nestoris, & Pitho surgat in ore tuo.
Ad Gallum demum postquàm perueneris, opto,
Afflu-

Afflictum recrees, mœstitiaq; leues.
Semper & incolumis uiuas, dum manseris illic,
Legatum dum te Gallia suspiciet.
Opto etiam Regem uictorem cernere possis,
Atq; iterum solita prosperitate frui.
E' re nam Christi est, Regem uti sorte secunda,
E' re totius Christicoliq; gregis.
In patriam quò cum fueris de more reuersus,
Incolumi regno, sospite Rege, uiris,
A' patribus meritos capias insignis honores,
Quæ labor, & uirtus, præmia ferre solent.
Interea salue, atq; uale præclare Michael,
Et patriam exalta quò potes ipse magis.
Quam tibi præsenti melius retulisse salutem,
Par erat, en absens, reddoq; febricitans.

Inscriptio Harenæ sitæ apud
Fratres Eremitanos

Hic olim biiugum ludi, hic equitumq; fiebant,
Hic egit parteis histrio sæpe suas.
Comicus in Scenam sese hic, Tragicusq; ferebant,
Impleuit uarios hic Citharista modos.
Prodijt hic Elaphas, Taurus, Panthera, Leoq;,
Hinc est hic igitur dictus Harena locus.

Epi-

Epitaphium Illustrissimi: Cortonei
Principis Angli.

Anglia quem genuit, fueratq; habitura patronum,
Cortoneum celsa hæc continet arca Ducem,
Credita causa necis Regni affectata cupido,
Reginæ optatum tum quoq; connubium,
Cui regni proceres non consensere, Philippo.
Reginam Regi iungere pnsse rati.
Europam unde fuit iuueni peragrare necesse,
Ex quo mors misero contigit ante diem.
Anglia si plorat defuncto principe tanto,
Nil mirum, domino deficit illa pio.
Sed iam Cortoneus cœlo, fruiturq; beatis.
Cùm doleant Angli, cùm sine fine gestant.
Cortonei probitas igitur, præstantia, nomen,
Dum stabit templum hoc uiuida semper erunt,
Anglia dumq; etiam stabit, stabuntq; Britanni,
Coniugij optati fama perennis erit.
Improba naturæ leges Libitina rescindens,
Ex æquo iuuenes præcipitatq; senes.

Epitaphium Reginæ Berthæ Henrici
Quarti uxoris.

Prædia quæ Præsul, Clerusq; hic possidet, illa
Donauit

Donauit templo Bertha huic celeberrima coniux
Henrici Regis, iacet hoc quæ extincta sepulchro.
Nomine ob id meritum, fama quoq; digna perenni.

Ad Lelium Ruuinum Bononiensem.

Quod modò si uellem possem Ruuine negare,
Gestandi gladij ius tibi trado libens.
Tu fac utaris concesso munere rectè,
Vt gratum ostendas, te pariterq; probum.
Nam mea Prætoris seruans mandata, per Vrbem,
Hic dum Prætor ero quælibet arma feres;
Te tamen interea moneo Virtutibus ornes,
Et studeas proauos æquiperare tuos.
Doctrinæ ut fias, armorum, atq; arte peritus,
Et Bruti consors efficiare breui.

Inscriptio Palatij Ecelini Sæuiss. Tyranni.

Hac quisquis transis, conceptum pone timorem,
Interijt Dominus, qui fuit ante domus.
Non plus hic habitat Sciron, dirus'ue Procustes,
Non hic pascuntur plus Diomedis equi;
Librauit Minos Ecelini crimina iamq;,
Tartareas pœnas iam ferus ille subit.
Non plus humano hic temerantur sanguine muri,
Non

Non plus humano hic ſanguine terra madet.
Haud rediturus abit Stygias Ecelinus ad undas,
Ergo tuum tutus carpe uiator iter.

Epitaphium Diui Proſdocimi

Diuus Proſdocimus iacet hic, Qui miſſus ad urbē hāc,
Ad Chriſti cultum transtulit Euganeos,
Vnxit & hic etiam Patauos baptiſmate ſacro.
Præclarus ſocius, diſcipulusq́; Cephæ.
Præſulis inflexum manus hinc habet altera guttum,
Teſtem, quo Patauos, lauit & Euganeos.

Ad Ciues, & populum Patauinum

Hic diuæ corpus Iuſtinæ conditur, illi hic
Confoſſum Chriſti pectus amore fuit.
Exultet tali hæc unde urbs decorata patrona,
Ex hac ſitq́; etiam uirgine tuta magis.
Iuſtinæ meriti donec tribuentur honores,
Soluentur donec debita uota Deæ,
Tantiſper Pataui, qua libertate fruuntur
Gaudebunt, qua uel proſperitate nitent.
Quas decet ergo Deæ grates iam reddite, uobis
Singula apud Venetos integra ſemper erunt.

Ad nobiles Patauinos, & reliquos Ciues,

Treis habet hæc monteis mira urbs pietate refertos,
In plano quamuis ædificata solo.
Argenti, atq; auri positum ingens pondus in illis,
Seruatum sola commoditate inopum:
Quilibet expositos certo cum pignore numos
(Pro centum soluat dummodo quinq;) capit.
Iudæo hinc fœnus uetitum est, cùm suppetat ex ijs
Copia numorum, quam quis habere cupit.
Hos Bernardinus monteis extruxerat olim
Feltrius, hanc urbem fœnore ut eriperet.
Dum monteis igitur rectè moderabitis istos,
(Credite) erit uestra urbs sospes, & incolumis.

Inscriptio lapidis uituperij.

Quod saxum prostat summa hic à parte palatij,
Effigiem Calicis, Quodq; sedilis habet.
Iste uituperij fertur locus, ære grauati
Huc super insiliunt, hicq; sedere solent.
Extitit Antoni hæc sententia dia beati,
Carcere obæratos soluere qui uoluit.
Cui non soluendo est (si uult) conscendere saxum,
Atq; potest nudas imposuisse nates.

Ad

Ad Patauinos Ciues super festo die decursus equorum, & felicis ingressus Dominij Veneti in hanc Patauinam ciuitatem.

Hæc lux à uobis niueo signanda lapillo,
Carrario eripuit uos ea quippe iugo.
Milite collecto Veneti hac sunt urbe potiti,
Fixere inq; foro hoc Marcia signa die.
Hinc igitur tota ludi exercentur in urbe,
Hinc æs campanum perstrepit, hincq; tuba.
Hinc festus, lætusq; dies, hinc cursus equorum,
Annuus, hinc choreis compita pulsa sonant.
Vxores, tutæq; nurus, tutissima uobis,
Hinc sunt uestra, etiam pignora, rura, domus.
Iam Superis Pataui meritas exoluite grates,
Vestra salus uobis prodijt à Venetis.
Nil mirum afflictam eripuit si nata parentem,
Fert ita naturæ lex pia, lexq; potens.

Ad Scholares qui facultatem ferendi gladios flagitant.

Ingenium quisquis doctrinis excolit, ille
Euoluat libros, temperet à gladijs.

Ad eosdem.

Qui

Qui studet, euoluat libros, ediscat eosdem,
Ense latus cingat miles, & arma ferat.

Inscriptio pontis dicti Pediculosi

Aequore ab Adriaco quæ merces undiq; ad urbē hāc
Mos erat aduerso flumine conuehere,
Publica pendebant hic uectigalia fisco,
Pondere pro rerum, pro grauitate simul.
Hinc igitur sumpsit pons hic à pondere nomen,
Quod librarentur singula ponderibus.

Inscriptio pontis uocati delli Graici

Cùm peteret bello, premeretq; Cleonymus agrum hunc
Ad Veneta expositis littora militibus,
Comissa Pataui pugna hic fudere pelasgos,
E quibus ad naues pars quota uix redijt.
Pro cæsis igitur græcis, procul hincq; fugatis,
Græcorum ponti nomen habere datum.

Inscriptio Pontis Altinatis

Hic Altinates laribus, patriaq; relictis,
Dum metuunt prædas, dum metuuntq; necem,
Attyla nanq; igni, uastabat, & omnia ferro,
Extru=

Extruxere sibi, pignoribusq; domos.
Indita sunt ex hoc igitur sua nomina ponti,
Altinus ripam hanc incola quod coleret.

Inscriptio pontis uulgo uocati
Ponte Corbo.

Victores Pataui, quot sors seruauerat hostes,
Intra urbis uinctos mœnia cum raperent,
More triumphantum ponti: portæq; propinqui,
Curua iniunxerunt pergere mancipia.
Quòd proni, atque humiles iter hac fecere Pelasgi,
Pons fuit hic dictus curuus ab Euganeis.

Ad utrunque collegium doctorum,
& Academicos, atque ad
Nobiles Patauinos.

Iam par est operi exacto me imponere metam,
Iam quoq; lectori par retulisse uale.
Lumina Gymnasij quare præclara ualete,
Vtq; decet uatem pergite diligere.
Sic uos Dij superi diuturno tempore seruent,
Et dent Nestoreos posse uidere dies.
Sic uos perpetuus fortunæ riuus inauret,
Semper, & aurifero uos beet amne Tagus.

Viuat ita æternum Patauinæ gloria gentis,
Incolumi Veneto nomine, & imperio.

FINIS.

VENETIIS, M D LVIII.



